auditionem, examinationem et accomodationem eorundem desideriorum et repraesentationem, verum etiam primario et principaliter propter formandam et constituendam ordinationem ejusdem Provinciae, tum Districtus Piltinensis respective quoad jura sua, item propter amotionem et pacificationem qualiumcunque discordiarum, exorbitantiarum, controversiarum et praetensionem domesticarum et externarum cum potestate judicandi et puniendi summario Processu hos Curlandos, qui rebelles Reipubl. juribusque aut auctoritati Commissoriali post hanc Constitutionem illic in Curlandia se monstrarent, ordinamus, salva relatione et approbatione in futuris Comitiis. Quibus, Reverendo Magnificis et Generosis Commissariis ut Magnifici Exercituum Duces utriusque Gentis assistentiam militarem pro exigentia necessitatis, salva disciplina militari per novellam Legem praescripta, sub Comenda Regimentariorum idoneorum tam ex Regni quam et M. D. L. Exercitibus praestant, auctoritate praesentis Conventus injungimus: qui Regimentarii cum divisionibus in Commenda sua existentibus in limite Curlandico sese locare et ulteriora mandata eorundem Reverendi, Magnificorum et Generosorum Commissariorum expectare debent. Praefatos autem, Reverendum, Magnificos et Gene-